



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

2246. Die Markgräfin Anna ersetzt dem Kloster Langheim erlittene
Beschädigungen, am 31. Oktober 1309.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56621](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56621)

2246. Die Markgräfin Anna ersetzt dem Kloster Langheim erlittene Beschädigungen,
am 31. Oktober 1309.

In Nomine sancte et indiuidue Trinitatis Amen. Cum is, cuius deliciae sunt, cum filiis hominum habitare, fratres Ordinis Cystericiensis in peculiarem sibi populum elegerit ex omnibus, quos mundus habuit ab eterno, ipsi sunt merito pre ceteris ad cultum diuini nominis promouendi. Hinc est, quod Nos Anna, dei gracia Brandenburgensis quondam et Lusatiae Marchionissa et domina de Hennenberg, Recognoscimus tam presentibus quam futuris, quod attendentes varia dampna, Ecclesie sancte Marie virginis dicti ordinis Cystericiensis in Lankheim a nostris predecessoribus, quorum labores introiimus et possessiones disponente altissimo possidemus illata, Et quia Reuerendus pater, dominus Henricus, eiusdem Ecclesie Abbas, et frater Bertholdus de Tambach nomine totius Conuentus, omnia dampna prehabita, nobis et dictis nostris predecessoribus piissime relaxantes, omnium bonorum spiritualium, que in ipsa Ecclesia Lankheim hactenus deus dedit et perpetuo est daturus, participes nos fecerunt, Pro multis et magnis modicum refundentes, Juspatronatus Capellae in Merkerhufen, cum omnibus appendiciis et usufructibus, ad ipsam Capellam spectantibus, eidem Ecclesie in Lankheim, ad laudem dei omnipotentis eiusque sancte Matris et virginis Marie, ad salutem quoque animarum nostre videlicet et Serenissimi domini et Patris nostri Alberti, Romanorum Regis, ac Magnifici Principis domini et Mariti nostri Hermanni, Marchionis Brandenburgensis, et omnium predecessorum ac successorum nostrorum dedimus et presentibus damus iusto proprietatis titulo perpetuo possidendum. In cuius rei euidens testimonium Sigillum nostrum presentibus est appensum. Testes quoque huius sunt Otto Pincerna dictus Prouincialis noster, vir religiosus frater Burchardus Commendator domus Teuthonice in Munrichstat, Otto de Kunigsmarke Pincerna noster, Cunradus de Hesseburg, Albertus de Bartdorff, Hermannus de Stermberg et Karolus de Heldriet, et plures alii fide digni. Actum et datum in vespera, anno domini M^o. CCC^o. IX^o. vigilia omnium sanctorum.

Aus der Sammlung des Hennebergischen Alterthums-Vereins zu Meiningen, von Beckstein mitgetheilt.

2247. Markgraf Heinrich bestätigt dem Grafen Berthold von Henneberg die demselben vom König Heinrich für 2000 Mark Silber verpfändete Stadt Schweinfurth, am 18. Juni 1310.

Nos Heynricus, dei gratia Brandenburgensis et Landesbergensis Marchio, recognoscimus publice per presentes, quod obligationi opidi Swinfurthe cum omnibus suis pertinenciis, quod inquam opidum imperii esse dinoscitur, per serenissimum dominum nostrum dominum Heynricum, Romanorum regem facte nobilo (sic)